peſtate divulſum, fides non habebatur. In tanto diſcrimine ſacerdotes duos Societatis teſtes citavit, quos haberet in navi, & quorum incorrupta fides nemini venire poſſet in dubium. Cum Patres interrogati rem ita ſe habere confirmaſſent, periculo liberatus eſt. Reddidit quam debebat illorum humanitati vicem; utque ipſis non ſolum eſſet impune, ſed etiam ut à magiſtratu honor haberetur, curavit. Certior interim factus Regis Chriſtianiſſimi orator de Patrum navigatione difficili, & in Angliam adventu, egit cum Angliæ Rege de remittendis illis in Galliam. Quo annuente, Ambianum decimo, quàm fuerant capti, menſe ad Socios læti ſoſpiteſque pervenerunt.